



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Patria Potestas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

corū, nisi expressē appareat, vel probetur: secundum glos. in l. final. C. de pact. conuen. Et si maritus dicta bona malē administrat, tenetur de dolo, lara culpa, & leui, vt not. in di. l. fina. Cumque maritus volente vxore habet fructus, quicquid superest non est sumptum, ad vxorem pertinebit: per not. in di. l. fin. & l. vbi adhuc. C. de iure dot. & hoc consuluit Bar. secundū Bald.

STATVTVM loquens de dote, extenditur ad paraphernalia: secundum Alberic. in l. de quibus. ff. de legi. col. 24. Qua actione repetantur, Vide Sil. ibi quaestione. 5. Paraphernum dicitur a para, quod est iuxta, & pheral, dos, quasi iuxta dotem.

PARENTES.

PARENTVM nomine veniūt pater, mater, auus, auia, & superiores. ff. de verb. signific. l. appellatione. Quomodo tenentur alere filios, & e contra, supra. Alimenta. §. 2.

PATER obligatur ex filij contractu, quando res versa est in vtilitatem, vt quia mutuo accepit, vt se vestiret decenter, etiam sine licentia patris. ff. de in rem verso. l. 3. §. Labeo. quod si non est verum in vtilitatem patris, neque de eius mandato fecit, & pater rem apud se non habet, non tenetur. ff. de in rem verso. l. quod si seruus. §. sed si sic accepit. Neque in hoc casu dominus pro seruo tenetur. Si tamen haberet peculium filij. vel serui, deducto prius peculio, quod pater habet in illo, & dominus in peculio serui, tenentur. l. sed si damni. §. peculium. ff. de peculio. supra, Dominus, §. 5. & 6. An parentes testificari pro facto filij queant. vide Docto. & Abb. in c. videtur, qui mat. accus. pos. & in c. super eo. el. 2. de testi.

PATRIA POTESTAS.

PATRIA potestas soluitur. Primo quando transit in potestatem alterius: vt in l. si arrogator. ff. de adop. vt si fiat quis religiosus. Secundo, si profiteatur post pubertatem in religione approbata: vt not. glo. in c. 20. q. 2. Ante autem pubertatem nolente

pater, non potest profiteri, nec matre inuita, potest pater offerre filium religioni ante dictam aetatem: secundum Panorm. in c. 2. de regul. quia de iure diuino & naturali tenetur filius parentibus obedire. Tertio per emancipationem. supra. emancipatio. §. 1. Quarto, per sacrum ordinem. c. frequens. d. 54. Quinto, per dignitatem Episcopalem c. si seruus. el. 2. d. 54.

PECCATVM.

PECCATVM actuale duplex est, quonia aliud est mortale, eo quod mortem spiritualem inferat animae, auferendo gratiam Dei, ex qua viuunt animae, iuxta illud apostoli, Viuo ego, iam non ego, viuunt in me Christus, & peccans mortaliter, semper vel expressē, vel interpretatiue, refutat Deum pro ultimo fine. Aliud est veniale, quia non perfecte attingit rationem peccati, nec est contra charitatem, sed praeter: nec contra praeccepta Dei, sed praeter. Est & aliud peccatum non actuale, sed dicitur originale, quod est priuatio originalis iustitiae, collatae primo homini, vt erat caput generis humani, ex S. Thom. 2. sentent. d. 35. & pluribus alijs locis, quos breuitat gratia omitto.

PECCATA quaedam sunt spiritualia, quorum finis est spiritualis delectatio: vt superbia. alia carnalia, quorum finis est delectatio corporalis: vt gula, & huiusmodi. De his apostolus. 1. Cor. 7. ait. Emundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus. Spiritualia sunt quinque, carnalia duo, videlicet gula, & luxuria, cetera spiritualia sunt, secundum Grego. 13. mor. li.

PECCATVM omne in quantum habet rationem culpae, est voluntarium, quia voluntas est propria, & per se causa peccati. Thom. 1. 2. q. 73. a. 6. in co. & quod nullo modo est voluntarium nunquam est peccatum: secundum sententiam. Aug. lib. retract. & ca. quod autem. 15. q. 1.

ACTVS interior voluntatis, & exterior alicuius potentiae, quando sunt coniuncti ad vnum malum finem, non sunt duo peccata, sed vnum, sed multiplicata